

QUI IN VICTORIE. DE ANIMAM
DIREXIT MEDICINAM. EST QUI
DIMITTAM DUREM. ME
DITAT. ADIUVIT ET CONFUSI EX.
SICUT E CAUSA HOMINIS MI
DRORE. MOX PEDIT MARE
III DE. NON OMNIA CRISTO
MORALI MUND. B. H. B. B. B.
OFFER. MINIMA M. B. SECRET.

Divinae Virtutis Inventionis

VICTORIAM

pacem

legem

et

omnium

83



Diese Anzeig. F. 207 Bl.
15 ND 92.

Huic libello insunt;

1. Petri Wesenbecij Oratio de Vualdensibus et Albigensibus christianis.
- 2 De hospitio scholarum et Ecclae Oratio Gregorij Beremani.
- 3 Oratio de æ. DEO agnoscendo: et de lingua hebraeae veneranda antiquitate et dignitate, Hermanni Rennecherij.
- 4 Oratio περι τῆς ἀνθρωπογενεως christiane Urbani Pierij
- 5 Oratio de summo fine bonoq hominis Pauli Auleandrij
- 6 De calumnia Oratio e graeco Luciani Samosatensi in latinum sermonem adcommodate versa p. Georgium Fabritium.

Th. h. R. x, 242

P. d. 241



ORATIO
DE SVMMO
FINE BONO
QVE HOMINIS:

Habita à

DECANO COLLEGII
PHILOSOPHICI, PAVLO AV-
LEANDRO, D. ET PROFESSORE,
cùm tribueretur testimonium
doctrinæ triginta duobus hone-
stis ac doctis viris, in Acade-
mia V Vittebergenfi, 23.
Mart. An. 1591.



VVITTEBERGAE,
Typis M. Simonis Gronenbergij.
M. D. XCI.
69.

GENERICIS, DO-
CTRINÆ ET VIR-
tutis præstantia

NOBILISSIMO VI-
RO, HIERONYMO à DISKAV,
Domino & amico suo plurimum colendo

dedicat

Paulus Auleander.



ORATIO.

NON postremum in Philosophia, Magnifice D. Rector, Inclyti & Generosi Barones, Reuerendi, Consultissimi, Clarissimi & humanissimi viri, nec non nobilissimi, virtutumq; & literarum studiosissimi iuuenes, locum sibi vendicat Ethica, siue bene viuendi disciplina: principem verò in ipsa Ethica locum tenet disputatio de summo fine, summoq; bono hominis, in eaq; totius Philosophiæ cardo vertitur. Vnde Socrates, habitus ab oraculo omnium hominum sapientissimus, Philosophiam ad mores vitamq; reuocauit: & cum nihil hominis cognitione sit dignius, quam summus finis summumq; bonum hominis, doctissimi quiq; omnium ætatum homines summo ingenij conatu in rei nobilissime cognoscendæ studium incubuerunt, & quomodo suas sententias tuerentur, sudarunt maxime. Verum ut mille sunt hominum species, auctore Persio, Satyr. 5. vel tot potius species, quot homines: (vix enim reperias, qua ex $\tau\epsilon\ \rho\omicron\lambda\upsilon\tau\omicron\sigma\iota\kappa\iota\lambda$ & Dei potentia elucet, hominem quoad omnia homini similem) ita non tantum, quod epistol. lib. 1. scripsit Plinius

A 2

iuuener,

DE SUMMO FINE

iunior, varia sunt hominum iudicia: sed etiam, ut dixit Comicus, quot homines, tot sententia. Deinde cum tot & tanti viri, non Ethnici saltem, sed Christiani etiam omnium suum studium in cognoscenda re præclarissima posuerint, seq̄, fatigauerint admodum, & tantum non fregerint in laboribus: plurimos tamen multum operæ & laboris frustra consumpsisse, paucissimos ad rei veritatem propius saltem accessisse videmus, vix quot Thebarum in Bæotia portæ, vel diuitis ostia Nili. Quod igitur Iuuenalis Satyr. 10. de bonis vere sic dictis affirmat, inquiens:

Omnibus in terris, quæ sunt à Gadibus, usq̄ Auroram & Gangem, pauci dignoscere possunt Vera bona, atq; illis multum diuersa:

id nos de summo fine summoq; bono hominis multo iustius affirmare possumus.

Quamuis autem vel ex ista opinionum varietate, & frustra à plerisque impenso labore manifestè appareat ingens disputationis de summo fine summoque bono hominis difficultas: & digna videatur questio, in qua explicanda magno saltem ingenio, doctrinaq;

H O M I N I S.

*ctrinaq; & iudicio præditi homines versen-
 tur: & de qua verba faciant tantummodò,
 qui ad bene dicendum de magnis rebus à na-
 tura ipsa facti sunt: non vos autem saltem,
 clarissimi præstantissimiq; viri, sed ego ipse
 etiam (in qua re ego eruditionem meam, si
 que tamen est, omnem consistere puto) bene
 nouerim, quàm parum doctrina & ingenio
 possim, melius, quàm me natura ad quiduis
 potius aliud, quàm ad dicendum finxerit: nec
 me fugiat, quàm vos præstetis ingenijs, quàm
 doctrina & longo rerum usu valeatis, quan-
 tumq; in dicendo possitis: Ideoq; Seneca, qui
 præcipit, ut quoties aliquid coneris, te simul,
 & ea, quæ pares, quibusq; paraueris, ipse me-
 tiaris, iustam reprehensionem ter incurrere
 possim: tamen, cum congressus scholasticos
 non deceat esse ociosa spectacula, qualia in suis
 panegyribus Græcia exhibuisse legitur: & of-
 ficij mihi commissi ratio oratiunculam à me
 postulet: ego de summo sine bonoq; hominis
 verba facturus in eandem, in qua sudarunt
 multi, cum quibus ego minimè conferendus
 sum, palestram in hoc doctissimo auditorio*

DE SUMMO FINE

conscendere audeo. Etsi enim difficile est veram in tanta opinionum diuersitate sententiam cogitatione assequi, difficilius oratione eam explicare: tamen magne etiam rei, quantulumcumq; possederis, fuisse participem, non minima est gloria, ut dicit Columella: aut certe praeclarior, rei nobilis cognitionem accipere minimam, quam ignobilis maximam: longeque utilius de rebus magnis, licet vix mediocriter, quam de rebus nihili, si tamen fieri hoc potest, bene dicere: praeterea sicut non ij, ut scribit Socrates ad Nicoclem, qui de rebus nihili subtiliter, sed qui de rebus magnis bene dicunt, in viris sapientibus merito habentur: ita non eorum, qui in rebus nihili ingenij vim consumunt, ut ostentent ingenij aciem, & ociosos homines delectent, sed eorum, qui de rebus bonis vel populariter saltem loquuntur, merito probatur studium.

Denique quo difficilius est questio, & quo plura ad eam enodandam requiruntur, quae omnia me deficiunt, quoque plures in eius veritate, quae omnem ingenij humani vim & aciem splendore suo obstupefacit & hebetat, expli-

H O M I N I S

explicanda minus feliciter versati sunt: & quò vos maioribus ingenijs & maiore dicendi facultate instructi estis, ideoq; quanta sit hac de re dicendi difficultas, intelligitis: eò equiore animo balbutiem meam audietis: idq; ut pro equanimitate & candore vestro faciat, maiorem in modum peto & oro.

Sed ne in his immoremur iusto diutius, ad rem ipsam accedemus, & primum, quis summus finis, summumq; hominis bonum sit, considerabimus. Deinde nobiliorum & ignobiliorum Philosophorum de summo fine & bono hominis sententias audiemus. Postremò cognitionis summi finis boniq; usum inquiremus.

Summus cuiusq; rei finis siue bonum est summa rei perfectio, & optimus rei status. Unde rectè dicunt Philosophi, quòd summum bonum cuiusq; proprium sit & peculiare: quòd in re ipsa sit: quòd perfectum sit & absolutum: & non modò diuturnum, sed etiam perpetuum & immutabile: quòd satietatem afferat, & quòd in eo acquiescamus: & quòd ad expetendum id omnia ferantur. Sua enim cuiusq; rei & peculiaris perfectio est: &

DE SUMMO FINE

nisi in re sit, perfectio rei dici non queat: & quæq; res in suo genere siue statu perfecta est: perfectio satietatem affert, in perfectione acquiescimus: omnes ad perfectionem expetendam, si sani simus, rapimur & ferimur. Hæc summi finis & boni definitio sit: qua constituta videndum nobis est, quæ res sit summus finis hominis: ubi, ne impingamus in eos scopulos, in quos multos impegisse videmus, finem agentis & patientis distinguamus oportet.

Consideremus igitur necesse est, quis sit finis hominis respectu agentis, siue eius, à quo est creatus, & quis finis hominis respectu hominis ipsius. Deus est agens, siue is, qui creauit hominem: sicuti admiranda hominis ex corpore & anima constantis structura, cui infinitæ bonitatis, sapientiæ & potentiæ conditricis vestigia impressa sunt, nos conuincit, & sani omnes fatentur. Nam, ne quid de corpore dicam, si anima corporis expers est, ut est, à nulla re corporea potuit produci.

Quemadmodum enim causa non potest toto genere deterior esse suo effectu: ita nec effectus præstator sua causa. Si anima immortalis

lis

H O M I N I S.

lis est, ad immortalam naturam origo eius est referenda: & quidem non ad eam, qua alterius beneficio immortalitatem consecuta sit: sed qua per se & à se immortalitatem habeat: id est, qua nunquam esse cœperit, nec esse desitura sit unquam: qualis natura solus est Deus: qui nec cœpit esse, nec esse desinet unquam. Est autem anima immortalis. Simplex enim est: & quod est simplex, nec discernitur, nec diuiditur, nec discerpitur, nec distrahitur: ideoq; interitui non est obnoxium: & immortalam animam esse sensit Hermes, & Hermete antiquior Zoroastres. Sensit idem Pherecydes, Phocylides, Orpheus, Pindarus, Pythagoras, cui quidam μετεμψύχωση falso affingi putant. Idem docuere Thales, Anaxagoras, Diogenes, Socrates, Plato, & quicquid dicant alij, ipse Peripateticorum Princeps Aristoteles, qui profanior habetur, Latine eloquentie parens Cicero, Epictetus, Simplicius, Plotinus, Numenius, Iamblichus, Porphyrius, Proclus: ex antiquis negavit nemo, nisi Democritus fortè & Epicurus, quos apud Latinos secutus est Lūcretius.



DE SUMMO FINE

us. Quid multi Indorum, qui sua voluntate
vini combusti sunt, inuito animi robore te-
stantur aliud, quam infixam animis certis-
simam immortalitatis spem? Quid vera re-
ligioni consecrati homines, qui tot tantaq; ma-
la Dei colendi causa perferunt, aliud nobis
confirmant, quam se de vita immortalis, in
qua bonos bona maneant sempiterna, esse per-
suasissimos? Adeo immortalitatis sensus ex
animis hominum tolli nequit. Unde, sicut fir-
missimum afferri videtur, dicente Cicerone,
cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam
fera, nemo omnium tam sit immanis, cuius
mentem non imbuerit Deorum opinio: ita
firmissimum videtur afferri, cur immortalem
animam esse credamus, quod nulla gens tam
fera, nemo omnium tam sit immanis, cuius
mentem non imbuerit opinio immortali-
tis.

Sed quid ego de his, qua probatione non
admodum indigent? Agnoscunt enim & fa-
tentur sobrij omnes, Deum effecisse homi-
nem. Aristoteles in Metaphysicis multo-
rum de principijs rerum opinionibus repu-
diatis,

H O M I N I S.

diatis, qui Deum seu mentem, inquit, causam & auctorem dicit, non animalium modo, sed naturæ ipsius, & mundi & ordinis uniuersi, tanquam sobrius & vigilans loqui videtur: ceteri temerè. Et Cicero de Uniuersis: Deus animal unum spectabile hominem, in quo animalia omnia contineret, effecit. Deus igitur cum sit creator hominis, hominem Dei causa factum esse oportet. Nullus enim opifex ullum opus operis tantum causa extruit: sed seipsum etiam in agendo spectat: & si lustremus oculis & animo, quæcunque amplissimo cæli & terre complexu coërentur, nullam rem sibi tantum, sed auctori etiam suo natam, & cuiusuis rei usum alteri se præstantiori consecratum esse perspiciemus.

Homo igitur opifici suo Deo natus est: & sicut quidem testantur sacræ literæ, ad Dei opificis gloriam: non quidem quatenus ea in ipsomet Deo est: cui, ut nihil detrahi, sic nec addi quicquam potest: sed quatenus in homine ab ipso condito patet & elucescit.

Omnia

DE SUMMO FINE

Omnia propter seipsum operatus est Dominus, inquit sapientiae laude celebris Rex Salomon Proverbior. 16. Et passim in sacris literis per & propter eundem res create dicuntur: quod create propter eum sint, per quem sunt create. Heb. 2. V. 10. Omnia propter & per Deum esse dicuntur. Et Apostolus Col. 1. V. 15. Omnia per filium, inquit, & eius respectu condita sunt. Et Rom. 11. V. 36. Ex eo, (Domino videlicet) & per eum, & in ipsum, id est, ipsius gloriae causa, inquit, sunt omnia. Ideoq; concludit: Ipsi sit gloria in secula, Amen. Et Rom. 14. V. 7. 8. Nullus sibi ipsi vivit, & nullus sibi ipsi moritur, ait: quod nimirum nostri non simus, sed Dei creatoris nostri: cui vitam & mortem nostram servare par est. 1. Cor. 10. Siue editis, siue bibitis, ait, siue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Probari igitur omnibus debet Stoicorum illud, tametsi procul dubio minus ab ipsis intellectum, axioma verè Philosophicum: Omnia nasci hominum causa, hominem verò Dei causa.

De fine agentis diximus, de fine patientis agendum est: quem ut inveniamus, hominis

minis

H O M I N I S.

*minis à Deo creati statum & conditionem
 consideremus oportet. Statum enim cum o-
 ptimum fuisse oportet. Creatus autem homo
 est ad imaginem & similitudinem DEI:
 quàm rectè aestimes non ex eo statu, in quem
 per peccatum, quo obscurata ac pene deleta est
 Dei imago, decidimus: sed ex primæ sta-
 tionis, in qua collocati fuimus, conditione, &
 eo, in quem per Christum hic restitui incipi-
 mus, & in altera vita plenius restituemur,
 statu: de quo nisi ex DEI oraculis iudicium
 facere nequeas. Imago ea, ad quam homo
 est conditus, & in quam Redemptoris benefi-
 cio restituitur, est mens rectè agnoscens DEI
 naturam, voluntatem & opera: & voluntas
 liberè Deo obtemperans: omniumq; inclina-
 tionum, appetitionum, & actionum cum
 mente & voluntate DEI congruentia: toti-
 usq; naturæ hominis puritas & integritas:
 perfecta beatitudo, & letitia in Deo acqui-
 escens: siue imago Dei in homine est simula-
 crum sapientiæ, iustitiæ, dominij, beatitu-
 dinis & felicitatis Dei, sapientissimum,
 iustissimum, beatissimum & felicissimum De-*



H O M I N I S,

um referens. Deus enim hominem iustum
& sapientem creavit, ut dicitur Ecclesiast.
7. Fecit Deus hominem rectum & bonum:
ipsi autem quaesuerunt inuentiones multas:
Et Eph. 4. V. 20. Vos autem non ita didici-
stis Christum: 21. Si modò eum audistis, &
per eum edocti fuistis, sicut est veritas in Je-
su: 22. Nempe deponere, quod ad pristinam
conuersationem attinet, veterem illum homi-
nem, qui deceptricibus cupiditatibus cor-
rumpitur. 23. Renouari verò spiritu mentis
vestrae: 24. Et induere nouum illum homi-
nem, qui secundum Deum conditus est, ad
iustitiam & sanctimoniam veram. Col. 3.
Cum indueritis nouum illum hominem, qui
renouatur in agnitionem congruentem ima-
gini eius, qui ipsum condidit. In qua quidem
integritate sua si perstitisset primus homo, non
anima tantum, sed etiam corpore immortalis
fuisset. Nam per peccatum mors in mundum
introyt. Rom. 5. V. 12. & stipendia peccati
mors: & per Christum à peccato liberati et-
iam à morte liberamur, Rom. 6. V. 23: &
Deus homini immortalitatis symbolum arbo-
rius

DE SUMMO FINE

ris vita fructum tum demum subtraxit, cum
 is per peccatum morti factus esset obnoxius.
 Nec immortalis tantum mansisset, sed sum-
 mē etiam felix & beatus, felicitatis & beati-
 tudinis Dei particeps. Nam, ut cum peccato
 & iniustitia calamitas & miseria, ita cum
 vera iustitia felicitas & beatitudo coniuncta
 est: & imaginem Dei in homine participa-
 tionem beatitudinis, letitiæ & gloriæ diuinæ
 complecti, testantur sacrae literæ. Christus
 enim est imago Dei inconspicui, Col. 1. V. 15.
 non tantum quoad sapientiam & iustitiam:
 sed etiam quoad beatitudinem, letitiam, do-
 minium & gloriam. Iohan. 17. V. 10. Mea
 omnia tua sunt, & tua mea sunt. Iohan. 1. V.
 14. Spectauimus gloriam eius, ut unigeniti
 à patre. Matth. 16. V. 27. Futurum est, ut
 filius hominis veniat cum gloria patris sui,
 cum Angelis suis. Iam verò nos conformes ef-
 ficimur Christo capiti nostro: sicut docet Apo-
 stolus Rom. 8. V. 29. Quos præsciuit, eosdem
 & prædestinavit, ut conformes fiant imagini
 filij sui. & 1. Cor. 15. V. 47. Primus homo è
 terra terrenus: Secundus homo ipse Dominus
 è cælo

DE SUMMO FINE

è cælo. V. 48. Qualis terrenus ille, tales & qui terreni sunt: Et qualis ille cælestis, tales & qui caelestes sunt. 49. Et sicut gestauimus imaginem terreni, gestabimus etiam imaginem cælestis. Vnde Christus inquit Ioan. 17. V. 22. Ego gloriam meam, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut & nos unum sumus. 23. Ego in eis, & tu in me, ut sint perfecti in unum. Matth. 25. V. 21. 23. Serue bone & fidelis ingredere in gaudium Domini tui. Apoc. 3. V. 21. Si quis vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, ut & ego vici: & sedere cum patre meo in throno eius.

Hæc igitur Dei imago in homine, hic hominis status, hæc summi boni, id est, Dei per se beati cognitio, in qua fruitio Dei consistit, summus hominis finis, summum hominis bonum est. Hæc est vita æterna, inquit Seruator noster, Ioan. 17. V. 3. ut te solum cognoscant esse Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Et Luca 10. V. 20. Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cælis: hoc est, quod ad vitam & salutem æternam destinati estis. Gaudete & exultate, inquit
idem

HOMINIS.

dem Matth. 5. v. 12. quoniam merces vestra
 multa est in caelis. Iehouah est sors portionis
 mea, & calicis mei, inquit Propheta Psal. 16.
 v. 5. quasi dicat: Iehouah bonitatis suae me
 participem faciens est sors & bonum, quod
 hereditate ad me peruenire potest, summum
 & unicum: cuius suae sententiae rationem red-
 dens v. 11. Satietas, inquit, leticiarum est in
 conspectu tui, hoc est, gaudium, quo verè ex-
 pleri possit animus, in tui conspectu, in cogni-
 tione ac fruitione tui situm est: & Psal. 17.
 de impijs locutus, quorum ventrem saltem
 Deus implet ex suo penu, & quorum portio
 sita est in hac vita: sibi portionem aliam re-
 lictam gaudens, se corporis somno solutum,
 Dei faciem visurum, & iucundissimo conspe-
 ctus Dei fulgore recreatum & satiatum iri,
 beatumq; euasurum esse inquit. Inde & ex-
 cellens Propheta & Leuita Asaphus Psal. 73.
 Terram facessere iubet, & conspectum Dei
 in caelo expetit. Quem imitatus Apostolus,
 migrare desidero, inquit, Phil. 1. v. 23. &
 esse cum Christo. Hic summus hominis finis,
 hoc summum bonum est, de quo dici possunt,
 B quaecunq;

DE SUMMO FINE

quæcumq; de summo hominis fine à summis etiam Philosophis unquam dicta sunt.

1. Summus finis cuiusq; proprius est & peculiaris, dicentibus Philosophis. Quemadmodum enim Deus cuiq; speciei peculiare esse dedit, & quamq; speciem à quavis alia distinguit: ut nulla res id esse, vel citra figuram dicti saltem possit, quod est altera: Sic cuiq; rei peculiare bonum, nulli alteri rei commune, attribuit. Est quidem etiam Christus, quatenus Deus, imago Dei: sed alia ratione quam homines. Diuinitatis enim suæ respectu est coæterna Patris, non sui ipsius aut Spiritus sancti imago, & quidem consubstantialis & æqualis Patri proprietatibus essentialibus. Homo autem factus est ad imaginem & similitudinem Dei, Patris videlicet, Filij & Spiritus sancti: sicut testatur vox illa Dei: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: deinde homo minimè est consubstantialis, & æqualis Deo proprietatibus essentialibus imago: homo enim est non Deus: sed ad imaginem & similitudinem Dei factus esse dicitur, propter quandam quarundam
dam

dam proprietatum convenientiam: quæ in Deo
 increata, essentialis & immensa, in homine
 verò creata, accidentales, & finita sunt. Cre-
 ati quidem sunt ad Dei imaginem etiam An-
 geli: qui vera sapientia, intelligentia rerum
 creatarum, agnitione Dei, iustitia, potentia,
 gloria, beatitudine à Deo ornati sunt: sed dif-
 fert ea ab imagine Dei in homine, suis, licet
 nobis incognitis, gradibus: & Angeli Spiri-
 tus sunt corporis prorsus expertes. Quemad-
 modum autem, ne quid aliud iam dicam, De-
 us creator hominem, qui solus, ut Hermes ait
 in Asclepio cap. 3. animal duplex est, confor-
 mant ex animi & corporis, hoc est, ex eter-
 na & mortali natura: non ex anima tantum:
 (à caducis enim tantum differret, cum intel-
 ligentijs sue beatissimis mentibus conveniret) sed
 etiam ex corpore: (quo ipso etiam ab Angelis
 distinguitur) sic etiam hominem corpore &
 animo beatum esse voluit: qua sua beatitudi-
 ne ab intelligentiarum beatitudine differt:
 quamq; in ea demum, qua miseram hanc ex-
 cipiet, vita, plenè consecuturus est.

Et non posse partem hominis unam bea-

DE SUMMO FINE

tam, alteram miseram esse, multa sunt, quae nos doceant. Primum enim natura ita comparatum est, ut & corpus ab animo, & animus à corpore afficiatur, propter arctissimum vinculum societatis: qua de re praclare Aristoteles in Physiognomicis, & Galenus in peculiari libro disputat. Deinde, cum Deus animam & corpus coniunxerit, communesq; vivendi leges utriq; imposuerit: Servatorq; noster Christus, ut beatitudinem, qua excideramus, nobis recuperaret, assumerit corpus & animam: anima deniq; corporis vitio peccatis inquinetur: & contra corporis usa instrumentis gratas DEO actiones edat: nec corpus vitiosarum actionum vituperio liberari, aut honestarum laude privari possit: cum ita inquam haec sese habeant, ut à iustitia Dei fuerit alienum, vel corpus vel animam tantum propter commissa peccata cruciatibus subycere: ita alienum fuerit, hominis, qui ad propositum sibi summum scopum, Dei videlicet gloriam, summo conatu contenderit, corpus, vel animam tantum beatitudine donare. Qua de causa beatus Theodoretus Cyri Episcopus

copus

HOMINIS.

*copus in Oratione de prouidentia Dei decima,
 animam, si sola cruciatibus subijcienda esset,
 & res verba desideraret, & anima loqui pos-
 set, corpus item, si à beatitudinis consortio es-
 set excludendum, iustam querelam, si iudi-
 cis æquitas pateretur, instituere posse docet.
 Quem quidem locum ego quondam ita verti:
 Quæ causa esset, animam, quæ unà cum cor-
 pore dimicauit, & palmam obtinuit, solam
 coronari: vel orbatam premio solam crucia-
 tibus subijci? Sola enim affecta pœnis non im-
 merito his verbis alloqueretur Iudicem: Non
 sola, ò Domine, transgressa sum tuas leges, sed
 unà cum corpore in impietatis scopulos impe-
 gi: vel potius, si quod res est, dicendum sit,
 corpus me transuersum rapuit, & in scelerum
 foueam pertraxit. Illius enim illecta oculis
 violauit alienos thalamos, & curiosa forma-
 rum, quas alium potius spectare fas fuerat,
 obseruatricem & spectatricem fui. Diuitiarum &
 opum desiderio flagraui, oculis me cogenti-
 bus eas spectare. Hinc in profundum iniqui-
 tatis incidi. Illius enim affectiones redege-
 runt me in seruitutem, & quam mihi fueras*



DE SUMMO FINE

largitus, libertatem ademerunt. Corpori enim obsequium præstare & vsibus illius seruire coacta sum, tanquam congenita & conserua. Venter me ad ingluuiem instigauit: ingluuius verò peperit cogitationes prauas. Indignata sæpè necessitati carnis cessi: mærore & dolore ingenti affecta cupiditatibus illius obsequi coacta sum: & multoties quidem restiti, atq; impressiones illius fortiter repuli: pugna verò crebritas me sæpè debellauit, & capta misera soror persuasaq; sum. Cum enim corpus affligerè & vexarem, mærore afficiebar. Vicissim enim ego dolorem recipiebam: & cum nutrirer, petebar insidijs. Ortam enim inde luxuriam suscipiebam, quod meum officiũ esset ignara. Corporis enim miseria in magnam dementiam me adigebat: & obsequium vehementiorem efficiebat pugnam, & prælium exuscitabat & reaccendebat. Ne igitur à me sola, pœnas, ò Domine, petas: sed vel me vnà cum corpore pœna liberet, vel corpus vnà mecum pœna afficias.

Simili verò oratione corpus animæ obsequium consilijs alloqueretur iustum iudicem,

s

H O M I N I S.

*si loquendi facultate polleret. Simul atque
 me formasses, ô Domine, animam mihi inspi-
 rasti, diceret. Quòd si verò ex initio tota na-
 tura vis aestimanda est, me formasti prius:
 deinde vitali anima facultate me instruxisti.
 Percepi & ego unà cum illa victum in Para-
 dyso: communiter graviditatis in utero tem-
 pus traduximus: communiter solutis parien-
 di doloribus in hunc mundum venimus, hanc
 lucem aspeximus, & spiritum duximus:
 communiter vitam egimus. Nihil illa per se
 boni effecit unquam: sed corporis mei vasa
 adminiculo virtutis collegit diuitias: Ego ie-
 iunando, vigilando, cubando humi, & varia
 mala perferendo tabem contraxi, & has in-
 de ei collegi diuitias. Ego suppeditavi lacry-
 mas oranti. Ego cor ad adiumentum spiri-
 tus ei præbui gemitum festinanti: lingua
 mea laudibus te celebrauit: labijs meis v-
 sa instrumentis laudes tibi obtulit: mani-
 bus meis in cælum extensis, tui erga genus
 hominum amoris decerpit fructus: meis illa
 gestata pedibus cucurrit ad sacras tuas aedes.
 Ego præbui ipsi aures ad verbi tui susce-
 ptionem:*

DE SUMMO FINE

ptionem: meis illa usa oculis, solem, lunam,
 astrorum choram, caelum, terram & mare,
 & omnem visui subiectam creaturam intuita
 ad contemplationem tui deducta est: & cum
 ex magnitudine, tum pulcritudine rerum, quae
 videntur, te fabricatorem mente concepit:
 meis oculis latentem in sacris literis thesau-
 rum praedata est. Digitorum meorum usa in-
 strumentis diuina dogmata tua mandauit li-
 teris, & immortalem eorum memoriam reli-
 quit: meis manibus destinatas per totum ter-
 rarum orbem precibus aedes erexit: me ad-
 ministro usa dilectionis impleuit leges: meis
 manibus sanctorum pedes lauit: meis mani-
 bus opem tulit afflictis, & aegrotis obsequia
 praestitit. Ne igitur, Domine, me separet a
 pari iuge, quae supernè coniuncta est mihi: ne-
 que dissoluas binorum coniunctionem, quae
 non fortuito euentu sic facta est, de super au-
 tem sorte, opificij tui beneficio mihi obuinit:
 sed vnā & eandem coronam corpori & a-
 nima, quae vnum certamen certauerunt, tri-
 buas. Hoc enim aequalitatis tuae proprium, hoc
 iusto tuo iudicio dignum. Hac inquam oratio-
 ne iu-

HOMINIS.

ne iudicem compellaret etiam corpus, quod unà cum anima præclarè pugnavit, si loquendi facultate esset instructum. Sed neq, corpus hac, neq, illa oratione anima utetur. Non enim opus habet precibus eiusmodi iudex: sed quemadmodum sapienter administrat omnia, ita iustè etiam iudicat: & cum corpora animabus reddiderit, quibuslibet se digna tribuet. Ad quas quidem rationes accedit literarum sacrarum auctoritas, ratione quavis alia maior. Sacra enim litera cum anime tum corpori beatitudinem passim assignant.

2. Summus cuiusq, rei finis, ut rectè docent Philosophi, non extra, sed intra rem est, ideòq, summus etiam hominis finis intra hominem. Iam imago & similitudo Dei, quam hominis summum finem facimus, in ipso homine est: cum Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam fecerit, & induamus abiectam Dei imaginem, id est, ut cum Apostolo loquar, novum illum hominem, qui secundum Deum conditus est, ad iustitiam & sanctimoniam veram: & qui renouatur in agnitionem congruentem imagini eius, qui ipsum condidit.

B 5

3. Summ-

DE SUMMO FINE

3. Summus finis perfectus & absolutus est, ut dicunt Philosophi. Non confirmati quidem in bono fuerunt primi parentes nostri, & ita ad perfectionem ipsis aliquid defuit: nullius tamen rei in homine, quam imaginis Dei, maior perfectio fuit: & imaginis Dei in homine in vita altera, beata & immortalis erit perfectio, qua in creaturam anima & corpore constantem cadere possit. In vita enim altera, qua hanc miseram excipiet, Deum cognoscemus, sicut cogniti sumus, teste Apostolo: omniumque entium rationes in divina idea, qua omnium entium perfectissima similitudo est, tanquam in speculo contemplabimur & comprehendemus: & teste Apostolo, cognoscemus Deum, sicut cogniti sumus: eamque inde voluptatem percipiemus, ut maiore perfundi nequeamus. Inde Apostolus 1. Cor. 13. v. 9. Ex parte cognoscimus, inquit, & ex parte prophetamus. v. 10. Postquam autem aduenit quod perfectum est, tunc, quod ex parte est, abolebitur. Et iterum v. 12. Cernimus nunc per speculum, & per anigma: tunc autem coram cernemus. Voluntas nostra cum affectibus & appetitionibus omnibus, sanctissime

HOMINIS.

sine voluntati Dei conformabitur: & ardentissimo Dei, Angelorum, & beatorum hominum amore flagrabimus: & explebimur bonis magnis, imo maximis, quibus maiora homini contingere nequeant: & qua iam ne animo quidem quisquam hominum capere possit. Deum enim bonorum omnium fontem & scaturiginem, qui per se summum bonum, & solus perfecte beatus est, sibi & omnibus alijs sufficiens, cuiusque vita nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius cogitari potest, & in quo solo omnis nostra beatitudo & felicitas consistit, ut testantur frequentes illa in Psalmis voces: In Deo spes mea: In Deo salus mea: In Deo fortitudo mea, & similes, possidebimus: cuius possessio & fruitio cum intellectus, tum voluntatis satietas est. Hac enim beatitudo erit: qua nec corpus destituetur. Seminatur, inquit Apostolus 1. Corinth. cap. 15. vers. 24. corpus corruptioni obnoxium, excitatur incorruptum: id est, mortale & caducum est corpus, dum in his terris degimus: excitatum vero immortalitatem induet: & ab omnibus mortalitatis occasionibus & accidentijs passionibusque liberabitur.

Sic



DE SUMMO FINE

Sic enim ipse sese explicans inquit vers. 13. Oportet hoc corruptioni obnoxium induere in corruptam naturam, & mortale hoc induere immortalitatem. Seminatur, inquit, cap. 43. ignominiosum, id est, splendoris & decoris expers, excitatur gloriosum, id est, splendorem induet clarissimum: qui quantus futurus sit, conijcere possumus, si consideremus futurum, ut inanimata etiam corpora expiata igne lustrali siue purgatorio presentem claritatem vincant, & Luna Solem, Sol septem dierum lucem splendore suo superet.

Quemadmodum autem imago Dei in homine summum est bonorum in homine: ita eiusdem priuatio malorum omnium extremum est. In quibus enim imago Dei instaurari non cæperit, ij versabuntur in summa Dei, omniumque entium ignoratione: & Deo, qui solus bonorum omnium fons est, carentes, bonis omnibus carebunt: scelerumque suorum furij dies noctesque exagitabuntur: & immortales quidem ipsi etiam futuri sunt, verum maximo suo cum malo. Non enim morte, ut rudes tyranni solent, pœnis, quæ leues futurae essent,

Deus

HOMINIS.

Deus ab ijs exiget: sed extare volet in eos monumenta iusti ody sempiterna, ut in pios amoris. Mori quidem unice illi cupient, mortem verò adire non poterunt. Quàm miserum autem sit non posse mori, si velis, & quàm vita ista morti perpetuae futura sit similis, adeoq; quavis morte, imò mille mortibus peius malum, quis est, qui non intelligat? Aliene beatitudinis invidia, & felicitatis alienae conspectu cruciabuntur: & ijs afficientur malis, quae nemo hominum dicendo exprimere, vel cogitatione saltem assequi iam possit: idq; perpetuis, & nunquam finiendis aetatum seculis: adeoq; ipsi persuasissimi erunt, se supplicis mactatum iri, quibus nulla aetas finem impositura sit, abiecta omni mitigationis poenarum spe: & si quae spes ijs erit reliqua, haec erit, quòd in maiores cruciatus non venturi sint: ut qui in ijs versentur calamitatibus & malis, quae incrementa vix sumere queant.

4. Summum bonum, ut Philosophi censent, perpetuum & immutabile est. Perpetua etiam & immutabilis est imago Dei in homine. Sed dicas, Quia Creator hominis Deus, (cuius

DE SUMMO FINE

(cuius sapientia profunda est, iudicia inscrutabilia, & via imperuestigabiles, & qui iustitiam suam ostendere, & diuitias gloriose misericordie sue notas facere decreuerat, non ita in bono mentem & voluntatem primi hominis confirmauit, ut nullius tentationis magnitudine & impetu vinci, nullius boni obiecta specie de integritate sua decidere posset: primus homo à malo demone in vanissimam spem raptus magno scelere deitatem affectauit non contentus imagine Dei: atq; ea spe ad latam sibi legem violandam inductus acceptam sibi & posteris suis imaginem & similitudinem Dei sibi & posteris suis amisit: adeoq; sua à Deo creatore suo defectione ad maiora adspirans miser abiicit: ut præter animæ substantiã, quæ in non renatis etiam immortalis spiritus, ideoq; immortalis Dei imago est, vix tenues imaginis prioris umbra reliquæ sint in homine. Nam intelligentia carnis non modo non percipit, quæ sunt spiritus Dei: sed ne quidem percipere potest: & sapientiã spiritualem pro stultitia habet: imo inimicitia est aduersus Deum: & voluntas non tantum non subijcitur, sed ne subijci quidẽ potest legi Dei:
liber.

HOMINIS.

libertati pristina ad bonū & malum, libertas ad malum tantum, quæ miserrima seruitus est, letitiæ & paci in Deo, tristitia & conscientie cruciatus, gloriæ ignominia, vitæ mors, beatitudini miseria successit: & euentus, quo nullum argumentum maius est, satis ostendit, imaginem Dei in primo homine non tantum fuisse mutabilem, sed mutatam etiam esse. Hæc dicas inquam. Quamuis autem hæc omnia ita sese habeant, & Deus, cui propterea inuidiam fieri iniquissimum fuerit, immutabilitatem suam nobiscum partiri noluerit: tamen non reperies quicquã in homine nondum lapsa, quod æquè ac imago Dei in homine, omnia reliqua, quæ de summo fine & bono hominis dicuntur, exprimat: & in imagine Dei in homine in vita altera ne immutabilitatem quidem desiderare poteris. Amissa enim Dei imago in homine hic iterum instaurari incipit: in mente beneficio Spiritus sancti per verbum accenditur noua lux & agnitio Dei: in corde noui affectus: in voluntate nouæ inclinationes cum lege diuina congruentes: & voluntas efficaciter mouetur ad agendum secundum mentis motitias, & voluntatis inclinationes.

Imper-

DE SUMMO FINE

Imperfecta hac & regeneratione inchoata imaginis amissa instauratio in vita altera glorificatione perficietur: ut multò futura sit illustrior, quàm fuit in primis parentibus nostris. Mens enim perfecta rerum creatarum, & creatoris Dei cognitione illustrabitur, & libera erit ab omni errore, ignorantia, dubitatione: voluntas inclinabitur ad obediendum Deo, & summa cum alacritate ad obediendum agnitæ Dei voluntati feretur, sublatis omnibus obedientiæ impedimentis & obstaculis: & non modò non peccabimus, sed ne quidem peccare poterimus. Continuè enim à Spiritu sancto regemur: & æternæ perseuerantiæ dono ornabimur: atq; æterno Dei & hominum amore flagrabimus, & tantùm non conflagrabimus. Præterea satiabitur mens & voluntas nostra: aberit omnis ab isto bono nostro augendi cruciatus, & amittendi metus: maiorem beatitudinem animus non expetet: nec metuemus, ne gratia Dei felicitatem eam dantis excidamus: sed exploratum habebimus, nos non tantùm in maximis, sed in æternis futuros voluptatibus.

s. Ad

H O M I N I S.

5. Ad summum bonum expetendum omnia feruntur. Quod si saniores essemus, omnes sanè imaginis Dei in nobis corruptæ instaurationem expeteremus: nec alia causa est, quod eam non eo, quo par erat, studio expetimus, nisi quia sani non sumus, sed de integritate nostra maioris felicitatis emulatione ambitioneque cecidimus. Nos certè, in quibus imago Dei instaurari cæpit, & qui primitias Spiritus habemus, apud nos ipsos suspiramus adoptionem expectantes, id est, redemptionem corporis nostri: & nemo est hominum, cui non innatus sit quidam cognitionis Dei amor: nemo qui non beatæ immortalitatis desiderio flagret.

6. Summus & ultimus finis, inquiunt Philosophi, non habet finem alium, siue non expetitur propter aliud, sed propter se, & omnia expetuntur propter summum finem. Hac verò quomodo imagini Dei in homine, quam summum hominis finem & bonum facis, conveniant, audire cupiam, dicas forsitan, cum imaginis Dei in homine instaurationis finem habeat Dei gloriam: & imago Dei expetenda sit, ut Deus gloria afficiatur: & sola gloria
C Dei

DE SUMMO FINE

Dei patefactio finem nullum habeat: & sola per se expetenda sit, & propter eam solam omnia alia: ideoq; ipsius etiam imaginis Dei in nobis instauratio. Hæc si dicas, hoc tibi responsum volo. Distinguendum est inter finem agentis & patientis. Nam quæ de summo fine hominis dicta sunt à Philosopho, quòd nimirum is non habeat finem alium, & quòd non expetendus sit propter aliud, sed omnia alia propter illum, fini agentis, ad quem tamen Philosophum non respexisse certum est, cum agat de fine hominis, qui est intra hominem, omnium aptissimè conueniunt. Gloria enim Dei, quæ est finis agentis, & extra hominem, & omnium etiam aliarum rerum & actionum Dei finis, nullum prorsus ullo respectu finem habet alium: & omnia alia, ipsa etiam imaginis Dei in nobis instauratio propter Dei gloriam expetenda est, siue ut Deum gloria afficere possimus, & gloria eius magis patefiat. Hic summus rerum omnium finis est, ultra quem progressus nullus datur, & ad quem merito referuntur omnia: sicut Deus causa prima est, producens nimirum & non producta, ultra quam non est
pro-

HOMINIS.

progressus. Neq; tamen hæc nullo modo de fine patientis siue de imagine Dei in homine dici possunt. Quamuis enim imago Dei in homine habeat finem alium, qui est extra hominem, Deum nimirum vel Dei gloriam: & imago Dei propter Dei gloriam expetenda sit: tamen imago Dei in homine, quæ est finis patientis, & intra hominem est, non habet finem alium, qui sit intra hominem: & imago Dei non expetenda est propter ullum alium finem, qui intra hominem sit, vel saltem homini contingere possit: sed omnia alia, quatenus ea homini contingunt, expetenda propter imaginem. Non malè igitur, quæcunq; de summo fine bonoq; hominis à Philosopho dicta sunt, imagini Dei in homine, quæ Dei cognitionem & cultum, atque cum his coniunctam fruitionem Dei complectitur, conueniunt.

Sed ne longiores simus, conuertamus nos ad nobiliores Philosophos: & quid ipsi sentiant, audiamus, cum de fine agentis, tum de fine patientis. De fine agentis, pauca, quod ego sciam, apud Philosophos inuenias. Scitum

DE SUMMO FINE

est Stoicorum illud : Omnia nasci hominum
caussa, hominem autem Dei : & insigne ad-
modum illud Platonis in Epistola ad Diony-
sium, in qua vestigia apparent hausta procul
dubio in Aegypto doctrina de tribus Dei hy-
postasibus. Omnia, inquit, sunt circa Regem
uniuersi, & per eum, & propter eum omnia,
& is omnium, quae pulcra videntur, causa :
Circa autem secundum secunda, & circum
tertium tertia.

Ad finem patientis quod attinet, Pla-
to, sic edoctus procul dubio à magni illius
Mercurij discipulo Sechnuphim Heliopolita-
no, summum finem & bonum hominis collo-
cat in similitudine Dei : eamq; definit sapien-
tia : cuius nomine solam Dei cognitionem di-
gnatur, cum virtutum choro & cultu Dei con-
iunctam : id est, definit pietate & iustitia ex
Dei cognitione profecta, nec non εὐθυμεία si-
ue honesta letitia, quae ex veritatis virtutisq;
cognitione oriatur : perfectam tamen, & nu-
meris omnibus absolutam felicitatem nemini
in hac vita constare docet : sed à sapientissimo
beatissimoq; Deo reseruari ijs, qui ex virtu-
tis praescripto vixerint : monet etiam, ut ad
compa-

H O M I N I S.

comparandam nobis veram sapientiam, id est, Dei cognitionem, adhibeamus artium, scientiarumq; humanarum praesidia, nobilissimas potissimum disciplinas Mathematicas, & differendi artem, quae viam veritatis nobis monstret: & quod rei caput est, Deum inuocemus, ut nos sui cognitione donet, & pietate instruat. Hec Plato in Phedone, Theaeteto, in Phedro, in Epinomide, in Alcibiade primo, & passim tradit. Proximè igitur ad veram sententiam accedit. Finis enim hominis est sapientia, id est, ut Plato interpretatur, cognitio & cultus Dei, cum quo coniuncta est εὐθυμεία sine letitia, vita & salus aeterna.

Audito Platone audiendus erat Aristoteles, qui finem facit duplicem, Practicum & Theoricum, & hunc illi longissimè praefert: sed omisso eo, quod res ea peculiarem horam requirat, & audito Iamblichō, qui, quod de summo bono diuinè locutus sit, Diuinus cognominatus est, ignobiliores Philosophos audiamus. Quicquid faciendum aut non faciendum tibi proponis, inquit, ad diuinitatem referri debet. Non enim aliam ob causam tota

DE SUMMO FINE

hec vita instituta est, quam ut Deum sequamur: cuius cognitio, virtus, sapientia, beatitudo absoluta, qua reddit similes Dijs. Deos vocat Angelos. Idem, Homo, inquit, olim contemplationi Dei admotus erat. Inde verò huius corpori obnoxius factus est, & fati necessitati alligatus, (de lapsu aliquid inaudiuit, & de eo balbutit) Quare qua via liberari possit, rimemur. Sola utiq; Dei cognitio non vlla alia solvere illam potest. Felicitatis enim idea nosse bonum: & boni cognitio sacra porta, per quam ad omnium rerum creatorem aditus patet. Cognitionem Dei medium facit, per quod summum bonum consequamur: aditum ad Deum, siue possessionem & fruitionem Dei summum bonum. Ex Philosopho quid diuinius audire cupias? Non obscura diuine veritatis vestigia hic conspicias, quibus Philosophi profaniores alij sibi non insistendum putarunt. Non defuerunt enim homines, qui Philosophorum nomen sibi arrogantes, cum maxime caperentur voluptatibus, ad corporis voluptatem referenda putarunt omnia, & hominem, qui omnis generis voluptatibus secundum omne genus sensuum, in gustu verò & tactu

HOMINIS.

tactu imprimis, afflueret, summum bonum finemque assecutum esse, sunt arbitrati: Inter quos Xerxes fuit Persarum Rex, & Philoxenus: quorum ille nouæ voluptatis repertori constituit præmium: hic verò gruis collum sibi optauit dari: ut videlicet bibendi & edendi voluptate fruere diutius.

Fuere etiam, qui in diuitijs posuerunt: quòd felicitatem contineri arbitrarentur omnium commoditatum, quas diuitijs parari videbant, affluentia: Ideoque toti fuerunt in colligendis opibus: In quorum numero Vespasianus fuit: cui lucri bonus odor erat ex re qualibet. Quam quidem insanam habendi cupiditatem describens Iuuenalis Satyr. 9. inquit:

Prima ferè vota, & cunctis notissima templis,
Diuitie vt crescant, vt opes, vt maxima toto
Nostra sit arca foro.

Videas, qui unice sitientes gloriam, in ea felicitatem finemque suum collocant: Ideoque maximis laboribus & periculis ad summam laudem, gloriamque contendunt: imò per aliorum incommoda & calamitates in altior em locum

DE SUMMO FINE

peruenire student: & vix reperitur, ut ait Cicero 1. offic. qui laboribus susceptis, periculisq; aditis, non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam: & inuenti sunt, qui, ut Horatianis verbis utar, plebis ventose suffragia cœnarum impensis, & munere trita vestis venabantur, auditoresq; & dictorum suorum admiratores, ut Plinius Iunior in Epistolis, & de Oratoribus claris Cornelius Tacitus testantur, cœnula, vel mercede alia conducere solebant. Non desunt, qui imperare & dominari felicissimum esse rentur: ideoq; regni causa vel fidem violandam esse putant: & non fortunarum tantum, sed etiam vitæ & salutis suæ suorumq; magno discrimine ad imperia conscendere conantur. Reperias, qui eruditione unicè gaudent, & se beatos felicesq; arbitrantur, si variarum rerum cognitione sint instructissimi: ideoq; dies noctesq; toti sunt in literis. Omnes autem, qui animo ita sunt affecti, à vera sententia longissimè aberrant.

Primum enim, licet hæc non in uniuersum tollenda sint è bonorum numero: ideoq; (quis enim sanus bonis frui nolit) non repudianda

H O M I N I S,

anda sit omnis voluptas corporis: nec probādi
sint Cynici, qui abiectis diuitijs, pera & baculo
instructi stipem petebant ab alijs: nec asper-
nanda gloria: magistratus etiam iuste & cle-
menter gerendus: & excolendus studiosē li-
teris animus: nihil tamen horum est, quod
non cum multis malis sit coniunctum. Ferē e-
nim semper voluptas corporis dolorem parit,
& honestas animi voluptates tollit: mentis o-
culos prestringit, & omne animi lumen ex-
tinguit: & bonos saepe etiam incautos inescat:
Syrēnūq; instar multos ad se allicit & perdit.

Deinde quis quaeso unquam genialis homo
voluptatibus deditus adeo expleuit volupta-
tes suas omnes, ut non maioribus fruendi oc-
casiones captauerit: & ipsa inexplebili cupi-
ditate sua imperfectionem summi sui boni, i-
mò infelicitatem suam fuerit testatus? Fluxa
certē & caduca, adeoq; interrupta, & mo-
mentanea est quaeuis voluptas corporis. Quid
quòd à vera beatitudine tantò quisq; abest
longiùs, quantò magis voluptatibus se dedi-
dit: & necesse est, ut qui beatus esse velit,
mundi cupiditatibus renunciet? Dediti enim
voluptatibus, illa tantum, quod de se fassus

DE SUMMO FINE

est Assyriorum Rex Sardanapalus, gula & ventris probro infamis, quæ ederunt & biberunt, & per libidinem perceperunt, habent, vel habuerunt potius: & veræ beatitudinis iacturam faciunt. Rectè igitur Cicero eos, qui voluptatem summum hominis bonum esse statuunt, non cum ea parte animi, in qua inest ratio & consilium, sed cum cupiditate, hoc est, leuissima parte deliberare inquit. Et Persius Satyr. 4. Iuuenem quendam ad Rempub. accessurum, stultitiam nimirum eius ob oculos positurus, quæ sit summa boni interrogatum respondere fingit: Vincta vixisse patella semper: Et annis pannisq; obsitam animum de summo bono interrogatam idem responsuram ait. Diuitiæ magnis parantur laboribus, maioribus conseruantur: & quò maiores, eò maioribus cū curis, & maiore amittendi metu sunt coniunctæ: & nulli dant, multis verò etiam eripiunt quietem. Præterea sicuti ij, qui aqua intercute laborant, inexplebili aqua, ita ferè diuites inexplebili pecuniæ siti torquentur: & quò ferè quisq; maioribus diuitijs affluit, eò maiores expetit, & ijs, quibus abundat, minimis est contentus: facit q; ut summum illud
 bonum

HOMINIS.

bonū maximè exiguo sibi bono sit: & cum vel
 minimus sumtus faciendus est, Dys iratis ge-
 mioq; sinistro, ut verè Persius loquitur Sat. 4.
 Seriola veteris metuens deradere limum,
 Ingemit, & ceteris genio indulgentibus,
 pannosam fecem morientis sorbet aceti. Rem
 duplica, inquit Persius ad diuitem auarum,
 qui respondet, feci: Iam duplex, iam mihi
 quarto, iam decies redit in rugam, hoc est,
 duplo, quadruplo, decuplo, res mea aucta, &
 tamen curta est, & saccus rugosus: & ad
 Chrysippum Dialecticum, qui teste Laërtio
 quatuor scripsit libros de syllogismis, quos So-
 ritas Græci vocant, qui licet ingenti consta-
 rent propositionum aceruo, ut non nisi post
 temporis intervallum inueniretur conclusio,
 tandem tamen terminabantur, conuersus,
 Depinge ubi sistam, inquit, Inuentus Chry-
 sippe tui finitor acerui: id est, petit, ut, cum i-
 pse auaritie sue modum inuenire, aut iustum
 & sufficientem diuitiarum collectarum acer-
 uum perspicere non possit, nec vlla sibi diui-
 tie sufficere videantur, Chrysippus, qui Syl-
 logismis acervatibus finem imposuit, præscri-
 bat suffecturum sibi diuitiarum acervum.

Sed

DE SUMMO FINE

*Sed quis prescribat, aut si quis prescripserit,
quis persuadeat avaro, ut summum suum bo-
num satis bonum esse statuatur?*

Cupit hic Gazis implere famem,

Canit chorus apud Senecam in Herc. Oeteo:

Nec tamen omnis plaga gemmiferi

Sufficit Istri, nec tota sitim

Lydia vincit: nec quæ Zephyro

Subdita tellus stupet aurato

Flumine clarum radiare Tagum:

Nec si totus seruiat Hebrus,

Ruraq; diues cingat Hydaspes,

Intraq; suos currere fines

Speftet toto flumine Gangem.

Incertas, fluxas & caducas diuitias esse, præter innumeros homines alios, qui, cum ditissimi essent, ad extremam tandem reducti sunt inopiam, testes nobis sunt Crassus & C. Marius. Illius enim, cui pecunie magnitudo locupletis nomen dederat, bona, teste Valerio lib. 6. cap. 11. à creditoribus, quia solidum præstare non poterat, venierunt. Itaq; amara sigillatione non caruit, cum egens ambularet, diues ab occurrentibus salutabatur. Hic verò auctoribus Plutarcho & Plinio superatus à Sylla, & liberatus à Minturnensibus è carcere, traiecit in Africam: & facessere inde iussus, Vade, inquit, ad missum à Sextilio Prætoře lictorem, & nuncia Sextilio.

lio.

HOMINIS.

lio, te vidisse C. Marium sedentem in ruinis
 Carthaginis, exulemque, & panem mendican-
 tem. Imò diuitiæ non modò non faciunt ad ve-
 ram beatitudinem, sed etiam hominibus ma-
 gno ad eam consequendam impedimento sunt:
 ut, dicente Seruatore nostro, facilius sit came-
 lum per foramen acus transire, quàm diuitem
 in regnum Dei introire. Qui ad laudem glo-
 riamque contendunt, sæpè sibi exitium & pa-
 triæ calamitates afferunt, & excelsam sibi
 extruunt turrem, ex qua decidant: Et sicuti
 grauius labuntur, qui ex alto cadunt: ita etiã,
 qui ad altos honorum gradus ascenderunt: i-
 mò multi tolluntur in altum, teste Claudio
 scribente in Ruffinum, ut lapsu grauiore ru-
 ant. Quis quæso studio suæ gloriæ ad tantam
 unquam peruenit gloriã, ut non ad maio-
 rem peruenire studuerit? Non iam dicam,
 quòd ij, qui suam saltem spectant gloriã, o-
 mnem sibi ad veram felicitatẽ intercludunt
 aditum. Nam dicente Christo, Matth. 6.
 Qui suam ipsorum gloriã spectant, auferunt
 mercedem suam. Rectè igitur Persius Sat. 1.
 gloriã negat esse finem & extremum re-
 cti, siue rectè factorum. Dominationes, quan-

tis

DE SUMMO FINE

tis cum malis coniuncta sint, nouerunt & re-
stantur ij, qui ad imperia conscenderunt, &
rerum humanarum minus ignari sunt. Vidit
hoc vir sapientissimus, qui, ut refert Valerius
lib. 7. cap. 2. traditum sibi diadema, prius-
quam capiti imponeret, retentum consideras-
se ac dixisse fertur: O nobilem magis, quam
felicem pannum: quem si quis penitus cogno-
scat, quam multis sollicitudinibus & periculis
& miseris sit refertus, ne humi quidem ia-
centem tollere vellet: Et quam nemo Regum
& Principum Imperij causa beatus sit, satis
declarauit Rex Dionysius assentatori suo Da-
mocli: qui, cum expertus esset fortunam Regi-
am, Regis instar beatus esse nolebat. Pronun-
ciauit idem Iocasta, quae ad Polynicen de Eteo-
cle loquens inquit: Pœnas & quidem soluet
graues: Regnabit. Paucos reperias, qui sua im-
peria sufficere sibi putant, licet amplissima.
Alexandro illi Magno, tametsi is longè la-
tèque imperij sui fines propagasset, vnus non
sufficit orbis: ut Iuuenalis cecinit Satyr. 10.

Aestuât infelix angusto limite mundi,

Vt Gyari clausus scopulis, paruaq; Seriphio:

Et cum ex Anaxarcho audiisset, plures esse
mundos, fleuisse fertur, ut scribunt Plutarchus
&

HOMINIS.

& Curtius, quòd vix unius mundi dominus factus esset. In perpetuo sanè metu sunt Regum & Principum pleriq, ne regnis suis exuantur: cuius rei testis est Thyestes Seneca, inquiens:

Cùm excelsus steti,
Nunquam parere destiti, atq; ipsum mei
Ferrum timere lateris.

Fluxa profectò & caduca sunt imperia, & multi regnis exuuntur, presertim qui suis non cõtenti alienis inhiant: multi, qui imperarunt, subiiciuntur servituti. Dionysius, ut legere est apud Valerium lib. 6. cap. 11. cùm hereditatis nomine à patre, Syracusanorum ac penè totius Siciliae Tyrannidem accepisset, maximarum opum Dominus, exercituum Dux, Reçtor classium, & equitatu potens, propter inopiam literas puerulos Corinthi docuit: eodemq, tempore tanta mutatione maiores natu, ne quis nimis fortune crederet, Magister Indii factus ex Tyranno, monuit. Siphax, ut idem tradit libro sexto, capite undecimo, eù claritatis euectus, ut validissimorum populorum non tantùm arbiter, sed & victor victoriæ existeret, parui temporis interiecta mora catenatus à Lelio Legato ad Scipio-

DE SUMMO FINE

Scipionem Imperatorem pertractus est: cuiusq; dextram Regio insidens solio arroganti manu attigerat, eius genibus supplex procubuit. Q. Cepio, Præture splendore, triumpho claritate, Consulatus decore, Maximi Pontificis Sacerdotio, ut Senatus Patronus diceretur, affecutus, in publicis vinculis spiritum deposuit: corpusq; eius funesti carnificis manibus laceratum in scalis Gemonijs iacens magno cum horrore totius fori Romani conspectum est. Sed annus me deficiat, si inconstantis fortune Regiæ exempla e monumentis veterum velim colligere: Et quid hoc esset aliud, quàm in remotis locis ea quærere, quæ sese in vicinis non quærenti tibi sponte offerant. Non malè igitur, cum Gyges, ut testatur Valer. lib. 7. cap. 1. regno Lydiæ armis & diuitijs abundantissimo, inflatus animo Apollinẽ Pythicum sciscitatum venisset, an aliquis mortalium se esset felicior, Deus ex abdito sacrarij specu, voce missa Aglaum Psophidium ei prætulit. Is erat Arcadium pauperrimus, sed ætate iam senior terminos agelli sui nunquam excesserat, paruuli ruris fructibus ac voluptatibus contentus. Quocirca, ut habet
Valer.

H O M I N I S.

Valer. insolenter fulgore fortune suae gloriantur respondit, magis se probare securitate videns tugurium, quam tristem curis, & solitudinibus aulam, paucasque glebas pauoris expertes, quam pinguis Lydia arua metu referta: & unum aut alterum iugum bouum facilis tutela, quam exercitus, & arma, & equitatum voracibus impensis onerosum: & usus necessarij horreolum nulli minus appetendum, quam thesauros omnium insidijs & cupiditatibus expositos.

De regno diximus, de eruditione dicamus. Qui toti in eo sunt, ut rerum creaturarum, & eorum, quae geruntur in mundo, cognitionem sibi comparent, neglecto creatore, nihilq; sibi ad summam felicitatem deesse arbitrantur, si cognitione rerum eiusmodi maxime excelluerint, tum ineruditam suam eruditionem, tum felicitatem infelicem ostendunt. Praecipua enim verae eruditionis & sapientiae pars est Dei creatoris cognitio: nec creaturae creatore non cognito recte cognosci possunt: Ut taceam, quod quo quisq; magis in rerum cognitione profecit, eo magis se a solida & perfecta cognitione abesse videt: & nul-

D

lam

DE SUMMO FINE

*lam sibi ad beatam vitam eruditionem suffi-
 cere cognoscit. Postremum varijs morbis &
 insidijs eruditio homini eripitur: & tantum
 abest in eruditione eiusmodi sita sit felicitas,
 ut etiam, quò quisq. doctior est, nisi Deum
 cognouerit & cognitum coluerit, eò futurus
 sit in vita altera miserior: & doctis maximè
 infelicitas maxima metuenda sit. Ideo infru-
 ctuosam esse ait Plato omnem sine Dei cog-
 nitione eruditionem: & Petrarca, Nunquam
 tam iuuenis, inquit, nunquam tam glorie cu-
 pidus fui, quin maluerim bonus esse, quàm
 doctus. Sed ut multa paucis complectar, què-
 admodum nihil est tam malum, teste Plinio,
 in rerum natura, cui non boni quippiam sit
 adiunctum: ita contra nihil tam bonum, cui
 non mali aliquid admixtum sit: Quod Plato
 in Phedone eleganti fabula ostendit. Co-
 ram Ioue enim, cum Saturnum regno expulsi-
 set, voluptas & dolor affuerunt, & querelas
 de se mutuò ad eum pertulerunt. Iupiter ratus
 ex suo & Reipub. usu esse, inimicitias & odia
 deleri, in id incubuit, ut dissidentes concilia-
 ret: sed cum se operam lusisse videret, relu-
 ctan.*

H O M I N I S.

Etantes & inuitos adamantina quadam ca-
 tena inter se copulauit atque deuinxit: ut,
 quamuis perpetuo dissideant, nunquam ta-
 men separari aut diuelli possint. Sic nimirum,
 secundum Ouidium, miscentur tristia letis, &
 mala sunt vicina bonis: & nullum gaudium
 tantum est, quod non interturbet aegritudo
 aliqua. Et qua, ut Satyricus ait, praecleara &
 prospera tanti, Ut rebus letis par sit mensura
 bonorum? Minimis certè momentis maxi-
 me inclinationes fortune sunt, ima summis,
 summa imis permutantur. Vnde circuli ro-
 tæue motus, quo mutabilitati & rerum vi-
 cissitudini nihil est similis, veteribus for-
 tunc hieroglyphicum fuit: fortune inquam,
 cui volubilitas nomen dedit. Vortuna enim
 à vorto dicebatur: & digamma mutatione
 in F. affinem literam, qualem mutationem
 in alijs etiam dictionibus accidisse videmus,
 in Fortunam abiit. Nulli ferè, ut Seneca in-
 quit, & magna bona, & diuturna contin-
 gunt. Quanto maior est fortuna, tantò mi-
 nus est secura, inquit Aristoteles, & ex-
 pers periculi. Dicere nos etiam possumus:

DE SUMMO FINE

Non solet hominibus maiori malo esse aliud,
 quam quod maximo bono sibi futurum puta-
 runt: & multi rebus omnibus diu florent, ut
 grauius ex commutatione fortune doleant Et
 verè Poëtices lib. 3. Iul. Scaliger, Perpauci,
 inquit, viri ex ijs, qui clari atq; illustres tum
 virtutibus tum fortuna habiti sunt, quos non
 infelix exitus tanquam pro exemplo Fors o-
 stentauerit posteritati. Nec nos forsàn malè,
 si dicamus: quò cuiusq; felicitas maior est, &
 diuturnior, eò tandem calamitas grauior &
 facior. Quam quidem rem cum animo suo per-
 pendens Thyestes apud Senec. inquit: Ma-
 lam bonè preferre fortunam licet: Et Aegy-
 pti Rex Amasis, ut Thalia Herodoti comme-
 morat, cum Polycrate, cui omnia prosperè
 cessisse semper & cedere nouerat, hospitijs
 soluit: ne, ubi tristiore & grauiore aliquo
 malo afficeretur Polycrates, ipse etiam animi
 dolorem contraheret. Non posse enim felicitate-
 tem vltam esse perpetuam: nec posse eum, qui
 semper bonam fortunam expertus sit, bene-
 mori. Cuius quidem non vanum fuisse metum
 probauit prima & vltima, quam aduersam
 expertus est, fortuna, Rex Polycrates, qui,
 omnem

HOMINIS.

omnem filia, quæ visa sibi fuerat cernere patrem suum in aëre sublimem esse, qui à Ioue quidem lauaretur, à sole autem inungeretur, visionem exoluit ab Oræte cruci suffixus.

Neg, verò hæc sine singulari Dei numine ita geruntur, verum ideo accidunt, ne calamitatibus fracti despondeamus animum, vel ad praua consilia deflectamus, vel nimia etiam lætitia efferamur: sed in utraq, fortuna, vortune vel potiùs prouidentie diuina simus memores: & Dei arbitrio nos committamus: neg, quos isti summè fortunatos putant, nos etiam esse existimemus: & in his bonis caducis summam constituentem felicitatis nostræ felicitate æterna excidamus. Verissimè igitur Iuu. Satyr. 10.

Quid enim ratione timemus,
inquit,

Aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, vt te
Conatus non pœniteat, votiq; peracti?
Euertere domos totas optantibus ipsis
Dii faciles: nocitura toga, nocitura petuntur
Militia, & torrens dicendi copia: multis
Et sua mortifera est facundia: viribus ille
Confusus perijt, admirandisq; lacertis:
Sed plures nimia congesta pecunia cura
Strangulat, &c.

Ideoq, in fine Satyræ,

Si consilium vis,
prudenter inquit: D 3

Per.

HOMINIS.

runt: Regna tecum ipsa voluit, quorum exitus
 sepe numero miserabiles cernuntur: splendidis
 coniugis inijcis manus. At hæc, ut aliquando
 illustrent, ita nonnunquam funditus domos e-
 uertunt. Tandem prudenter concludens, Desine
 igitur, inquit, stulta futuris malorum tuorum
 causis quasi felicissimis rebus inhiare, teque
 totum cælestium arbitrio permitte. Quia qui
 tribuere bona ex facili solent, etiam eligere
 aptissima possunt. Concludamus igitur cum
 Iamblichio: Sanum, formosum, diuitem, hono-
 ribus auctum, bono sensu præditum esse, num
 beatitudinem hominis dicemus? Profecto
 non. Robur hominis risus est, honos nugæ, ho-
 mo ipse, & quicquid apud homines in pretio,
 umbra celer: sed bonis bonæ possessiones illa
 sunt, malis malæ & perniciose.

Eum igitur, quem constituimus, finem se-
 ctentur, qui beati esse volunt. Querant hunc
 voluptuosi, quibus voluptas summum bonum est,
 & erunt in voluptatibus non impuris, sed since-
 ris, non corporis tantum, sed etiam animi, non
 in caducis, sed in æternis, & maiores non ex-
 petent. Venentur hunc auari, qui in diuitijs

DE SUMMO FINE

summum bonum collocant, & suffecturas sibi diuitias comparabunt, ac omnis generis diuitijs, usq; sempiternis affluent, & non siti-ent alias. Ambient hunc ambitiosi, qui in honoribus summam felicitatis ponunt, & gloriam consequentur perpetuam, & ampliorem non ambient. Hunc finem affectent, qui regnare felicissimum esse statuunt, & regna affectant, & regnabunt perpetuo, nec ampliora regna affectabunt. Huic fini inuigilent, qui innigilant literis, & eruditione unice gaudent, & eam humanarum & diuinarum rerum cognitionem, qua in creaturam cadere possit, consequentur, & se inquirendo veritate fatigare tandem desinent. Hec de parte altera.

Postremam (quæ est de usu cognitionis summi finis & boni) ut orationis modum faciam, absoluturus sum paucissimis. Ad vitam bene degendam plurimum opis summi boni cognitio affert: & summi finis hominum cognitione instructi, id, quod oportet, melius attingere possumus, ut sagittarij scopum prefixum habentes. Nam qui finem agentis gloriam Dei esse accurate considerauerit, is in omnibus actionibus suis, ad
eam

HOMINIS.

eam potissimum respiciet, & ad eam, tanquam scopum, omnes vitæ suæ actiones referre assuescet: & cum suas, tum aliorum bonas & pravas actiones iusta lance ponderabit. Ab isto enim fine pendet omnis honestatis ratio, nec ulla actio in virtutis rationem cadit, quæ non habet sibi propositum istum finem: & tanto quæq; actio nostra melior, quanto ad omnium actionum nostrarum legitimum scopum, qui est Dei creatoris nostri gloria, propius accedit: tanto contra quæq; peior, quanto ab eo fine longius aberrat. Christus ipse Matth. 6. v. 1. Attendite, inquit, ne eleemosynam vestram detis coram hominibus, ut spectemini ab eis: alioqui mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cælis est. Et vers. 5. cum precaris, ait, ne sis ut hypocrita. Amant enim in conuentibus & angiportis platearum stando precari, ut appareant hominibus. Amen dico vobis, eos referre mercedem suam. Hæc Servator noster ait non obscure docens, vitiosas esse etiam per se laudabiles actiones, quæ non veri finis causa à nobis suscipiuntur. Rectè igitur Philosophi, qui docent, nullam actionem virtutem esse appellandam,

D S - qua

DE SUMMO FINE

que non ad legitimum finem referatur: quam-
 uis eum, de quo loquor, finem ignorauerint:
 recte inquam Diomedes, qui Græcis omnibus in
 fugam conuersis, solus summo cum vitæ peri-
 culo Hectoris impetum sustinere, quam igno-
 miniose fugæ se mandare malebat, omnem
 veræ fortitudinis laudem detrahunt: quòd
 nimirum Diomedes facinus illud per se pul-
 crum & præclarum, non veri finis, sed popu-
 laris laudis causa suscepit, & Hectori non
 cesserit, veritus, ne is in suarum laudum com-
 memoracione Diomedem à se in fugam con-
 uersum prædicaret: Recte item Hectori, qui
 glorie studio tuebatur officium: & alacrius si-
 bi pugnandum putabat, quòd Troianorum, &
 Troianarum sermones formidaret: Omnium
 rectissime Achilli & Paridi, cum uterq; tur-
 piores in pugnando finem propositum sibi ha-
 buerit. Hic enim, ut perfidia & scelere par-
 tas nuptias tueretur, prodibat in aciem: ille,
 ut effrenem animi iracundiam expleret, &
 multa cæde pasceret oculos, satiarètque cru-
 delitatem suam, tantas hostium strages fa-
 ciebat. Hæc de usu summi finis agentis.

Ad

H O M I N I S.

Ad finem patientis quod attinet, qui serio perpendet, hominis finem in Dei cognitione & iustitia positum esse, & se summo bono frui non posse, nisi finem eum assecutus sit, in id totus incumbet, ut Deum recte agnoscat, & agnitum colat atq; veneretur, & sic nativæ conditioni suæ indies magis magisque conformetur: qui persuasum sibi habuerit, vitam æternam summum bonum esse, & felicitatem summam, cuius hinc gustum quendam percipimus, in vita altera nobis repositam, nec in præmijs humanis spern. posuerit rerum suarum, ea curabit, quæ ad vitæ æternæ hereditatem adeundam faciunt: superaque & cælestia cogitans, contemnet, despiciet, pro nihilo putabit ea, quæ vulgo dicuntur amplissima: Omnes voluptates non quidem cum Carthusianis respuet: nullis tamen se cum Sardanapalo immerget: diuitias non quidem cum Cynicis abiiciet: æternas tamen terrenis præferet: honestam nominis celebritatem non repudiabit quidem: non tamen potius gloriam hominum, quam gloriam DEI diliget: nec mundi huius vanam & fugacem gloriam sitiet: & cum Plisthe-

ne,

DE SUMMO FINE

ne, non abnuendum est, dicit, si dat Imperium Deus: cum Thyeste vero, Nec appetendum: Literis humanis siue hominum opera nobis traditis studiosè excolet animum, studiosius diuinis: In iussu Imperatoris, id est, Dei, de presidio & statione vite cum Gymnosophistis Indis, qui ultrò & alacriter rogam condescendebant, non decedet: demigrare tamen hinc, si iustam Deus causam det, & cum Christo Seruatore suo esse cupiet: utq; esse possit, obnoxè operam dabit. Rectè igitur Atreo interroganti, Quis influentis fortune dona abnuuit? Thyestes apud Senecam respondet, Expertus est quicunq; quàm facile effluant. Contra, qui in voluptate summum bonum ponendum putauerit, id aget sedulo, ut omnis generis voluptatibus affluat, & eas res dies noctesq; potissimùm consecrabitur, ex quibus se voluptates quàm maximas percepturum statuet. Qui in diuitijs collocandum existimauerit, inflammatus cupiditate rapietur ad colligendas opes, statim in eius venas morbus ille permanabit, cui nomen est auaritia, siue auri sacra fames, & immensa cupiditatis sitis: quæ nulla rerum copia restringitur, sed augetur potius

H O M I N I S.

potius atque magis accenditur: auaritia in-
quam iterum, bonorum morum pestis & cor-
ruptela, quae omnia humana & diuina iura
violat: siue, quae, ut Apostolus ait, malorum
omnium radix est. Qui gloriam summum bo-
num sibi esse persuaserit, eius animum statim
inuadet miserrima ambitio, contentioq; ho-
norum: & vel per alterius iniustam ignomi-
niam & calamitatem gloriam acquirere stu-
debit. Qui imperare felicissimum existima-
uerit, Regni causa vel fidem violandam pu-
tabit: in eamq; curam dies noctesq; incum-
bet, ut exuere alios suis Regnis, & fines Im-
perij sui propagare possit. Nam facile, ut Ci-
cero inquit, 1. Off. ad res iniustas impellitur,
ut quisq; est altissimo animo & gloriae cupi-
di: & complures, ut idem ait 3. offic. se sce-
lere contaminarunt imperij cupiditate: quas
sententias coniungens ita scribit 1. Off. Ma-
ximè adducuntur pleriq; ut eos iustitiae ca-
piat obliuio, cum in Imperiorum, honorum,
gloriaeue cupiditatem inciderint. Haec Cicero.
Qui eruditionem expertem cognitionis Dei
& pietatis summi boni loco habuerit, totus
vel cum valetudinis iactura erit in literis: &

ut

DE SUMMO FINE

ut eruditionem excellentem, si tamen vel mediocris vlla esse potest sine Dei cognitione, dicere possem & cultu Dei, eruditio, sibi comparet, omne suum studium ponet in literis, & ad summam diligentiam nihil faciet reliqui: & dum creaturas cognoscere studebit, creatorem interim stultè & improbè negliget. Natura enim ad expetendum bonum, & consequendum ea, quæ ad bonum comparandum faciunt, omnes rapimur & impellimur: & nemo est qui beatus esse nolit: nemo est, qui non omnes corporis & animi nervos intendat, ut id, quod summum bonum putat esse, assequatur: nemo est, qui non assequi studeat id, quod ad beatam vitam momentum habere existimet. Inde Cic. 1. Off. inquit: Qui voluptatem summum bonum statuit, temperans esse nullo modo potest: Et ipse Servator noster Christus, Matth. 6. v. 21. Vbi est thesaurus vester, inquit, illic etiam erit cor vestrum. Nihil deniq; is, qui summam felicitatis sue in vite æternæ beatitudine collocandam esse crediderit, in malis ducet, quod à Deo parente omnium sit constitutum: nulla
frange-

HOMINIS.

frangetur fortuna, nullo fortune impetu ter-
rebitur: Sed omnes fortune motus, muta-
tionesq; rerum & temporum leues & imbe-
cilles fore intelliget: & quemcunque casum
Deus inuenerit, hunc aptè & quietè feret,
retinebitq; in rebus asperis animi fortis, &
innitè & constantiæ dignitatem: & ad quos-
uis dolores, ne felicitate aeterna excidat, per-
ferendos paratus erit: vitam deniq; suam po-
tius Deo donabit, quàm ut eam natura re-
seruando tanti boni faciat iacturam. Nemo
contrà, cuius spes ex fortuna bonis pendet,
celsus & erectus, nemo pacato & tranquillo
animo esse poterit: sed animo semper erit an-
xio, facileq; fortuna frangetur, & desponde-
bit animum, malisq; succumbet.

Cùm igitur tam multum considerare
& nosse referat, quis summus hominis finis,
summumque bonum sit, in rebus præclarissi-
mis cognoscendis omne studium nostrum col-
locemus: finemque & bonum nostrum nun-
quam non considerantes cum animis nostris,
pro nihilo habeamus omnia alia: omniaque
humana præ illo nostro bono, quod vite
aeterna

DE SUMMO FINE HOMINIS.

*eterna felicitas est, contemnamus: & ut
studia nostra Deo & hominibus probare pos-
simus, in omnibus vite nostre actionibus ad
Dei creatoris nostri gloriam, tanquam propo-
situm nobis scopum collineemus. Cui soli per
se bono, beato, & immortalis laus sit & gloria
seculis infinitis. AMEN.*

A3:154973



ULB Halle 3
 004 347 536



f

56.

III


390. aob.
 1209. zubinden.
 590.



A **f** **ru** **em** **di** **co** **no** **bis** **quod** **no**
um **ex** **mir** **rimis** **me** **is** **fec** **is** **tis**
mich **fec** **is** **tu** **is** **ve** **ni** **re** **be** **ne** **dic** **ti**
pater **me** **i** **pos** **si** **de** **te** **pre** **pa** **ra**
tam **no** **bis** **ve** **rum** **ab** **in** **no** **ce**

D

possi
mich
pater
mora
mora
Ex
Ex
Ex
Ex
Ex



ORATIO
DE SVMMO
FINE BONO
QVE HOMINIS:

Habita à

DECANO COLLEGII
PHILOSOPHICI, PAVLO AV-
LEANDRO, D. ET PROFESSORE,
cùm tribueretur testimonium
doctrinæ triginta duobus hone-
stis ac doctis viris, in Acade-
mia V Vittebergenfi, 23.
Mart. An. 1591.



VVITTEBERGAE,
Typis M. Simonis Gronenbergij.
M. D. XCI.
69.